201

5. Innocentius IV. papa, episcopo Culmensi iniungit, ut Mindonum sive Mendog, in regem totius Luthowiæ coronet.

Mandamus quatenus accersitis aliquibus ecclesiarum prelatis et religiosis personis, dictum Mindonum in totius Luthowiæ, ac terrarum omnium, quas per divinæ virtutis auxilium, iam eripuit de infidelium manibus, vel eripere poterit in futurum, auctoritate nostra corones in regem, et sibi ab omnibus constitutis ibidem, tanquam regi catholico super omnibus diligenter intendi facias, quæ spectare ad dignitatem regiam dignoscuntur. Ita tamen quod ipse ac successores sui, regnum predictum ac prefatas terras, quæ ad suarum precum instantiam, in ius et proprietatem beati Petri suscepimus, se ab apostolica sede tenere perpetuo recognoscant. Contradictores autem si qui fuerint vel rebelles, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescas. Datum Mediolani 17. Kal. Augusti, anno nono.